

volvens aciem, diu obtatum baculum aspicit ad se properantem, mirum dictu! ęrea cuspide sursum erecta, ab imo gurgitis resurgente et undas ita directim secante ac si alicuius dextere subsidio veheretur. Quo recepto, gratulabundus exultat in Christo, et sic quo directus fuerat tendit. Nunc sequentia prosequamur.

25¹⁾. Quidam miles, nomine Hildebertus, res sui iurissitas in confinio Aquitanici pagi secum huic obtulerat legislatori. Horum quędam quidam beneficio tenebant; quapropter cetera sibi ausu temerario usurpabant. Quorum princeps erat Walterius, prenomine Monachus, cuius diuturnam maliciam Gauzlinus abbas comperiens, equis ascensis, ad Salense²⁾ coenobium venit. Elisiernum, quendam fratrem nostrum, loci illius custodem delegavit. Cui laudabili patri cum vesanę mentis Walterius minitendo diceret: 'Si quem, aio, huc monachorum repperero, mox meo interibit gladio'; ei vir sanctus serio tali respondit verbo: 'Multorum', inquit, 'confessorum Floriaci satis habeo, at nullo prorsus martirum de eadem sancta congregatione congratulor; proinde si unum mihi martirizaveris, duos dirigo tibi; si duos, habebis et quattuor, et quotquot interfeceris, numerum duplicabo tibi'. Haec locutus, ad propria regreditur. Prefatus autem Gauterius, in sua obstinatus malicia, sancto parasceve die febre corripitur, ad extremaque deducitur; inmundorum milibus demonum domus vallatur, interius exteriusque repletur³⁾, lamentabiles voces a misero eduntur; nil intueri aliud quam infernalium ministrorum exercitus. Iam inducię a patre Benedicto exposcuntur; iam in eum se peccasse profitetur; ad⁴⁾ Salense monasterium curritur; sacre vestis imutatione salvatur, et sic malignorum⁵⁾ hostium cuneus procul expellitur. Porro inlucescente dominice resurrectionis die, recedit a corpore.

26. Sed tamen nec sic quievit factio perversorum. Quin immo Giraldum⁶⁾ vicecomitem adeunt, donis muneribusque pelliciunt, et sue partis adtrahunt ad auxilium, qui rursus haud longo exacto tempore, turgescente gutture, in lectum decidit egerime. Cui una noctium adstans virginum regina, trium quasi pontificum consortio vallata, in haec prorupit verba: 'O homo! quid tibi mali feci? quid in te commisi, ut quod mihi

1) Dieses Capitel, sowie das 26. und 27, stimmt wörtlich überein mit cap. 5 und 6 des liber IV der *Miracula S. Benedicti*, des ersten Buches des Andreas. Bei Certain: *Miracula S. Benedicti* p. 179 ff.

2) Saint-Benoit du Saut, Diöc. Bourges (Delisle). 3) Die *Miracula* geben nach Certain hier folgende Bereicherung: ita repletur, ut cum oculis non cernerentur, eorum strepitus et compressio ab egredientibus et ingredientibus tam voce quam vultuum pallore et horrore profiteretur. Lacrymabiles voces etc. 4) Hs.: a. 5) Kürzer die *Miracula*: sacra vestis induitur malignorum etc. 6) Cfr. Bouquet, X, 345 (Delisle).